DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

CALCULO VESICÆ,

QUAM,

Favente Deo Opt. Max.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. ARNOLDI SYEN, Med. Doct. Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Acad. Lugd. Bat. Profeſſoris celeberrimi, Hortique Medici Præfecti,

NECNON,

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis Medicæ Decreto,

Pro gradu Doctoratûs, ſummíſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè capiendis,

Publico examini ſubjicit

JOHANN. FRIDERICH GIESELER, Brunovicenſis.

Die 2. Iulii, loco horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud Viduam & Heredes JOHANNIS ELSEVIRII, Academiæ Typograph.
CIƆ IƆC LXXIV.

Deo Opt. Max.
et
Patriae D. ex
Antiquorum formula
Author.

...nis somes furiali viscera flamma
...is Morbi mira V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

CACULO VESICÆ,

THESIS I.

Diſputaturus de re aliqua omninò inquirere & certus eſſe debet de τῷ ὅτι, quod nempe res iſta revera detur & exiſtat, aliàs vanus eſt & irritus omnis labor, qui ſuper re iſta tractanda inſumitur & adhibetur, niſi analogicè & per ſimilitudinem quandam rem ejuſmodi proponere velis, ut ſi de monte aureo loquaris, qui tamen revera non datur.

II.

Nos de calculo hominis veſicæ acturi non neceſſum habemus, ut operoſe inquiramus, an calculus iſte veſicæ detur; proh enim dolor manifeſtò ſatis & in vulgus notus eſt! cruciatibus enim vix tolerabilibus ex αὐτοψίᾳ, ſectione ſcilic. infallibiliter ſe prodit & conſpiciendum præbet. Verum de Veſicæ & Renum calculis fortè nemo ambiget, aliarum vero in corpore partium calculi non æquè omnibus ſunt noti, præſertim iis, qui Medico ſtudio non vacaverunt, propterea non abs re fortè fuerit per παρέκβασιν quandam loca iſta, in quibus præter multorum opinionem lapides reperti fuerint, annotare; & monſtrare etiam ex lapidibus in variis corporis partibus inventis tanquam fodinis, è quibus metalla & lapides eruuntur, non ad ædificandam, ſed diruendam domum (*Andr. Laurent. lib.* 1. *cap.* 2. *operis ſui*) hominum miſeriam; eamque deplorare.

III.

Ita annotaverunt auctores calculos genitos & repertos fuiſſe in cerebro, palpebra, ſub lingua in ductibus ſalivalibus, in quibus antehac *Excellentiſſ. ac Clariſſ. D. Drelincurtius Profeſſor Publ. & Anatomicus ſagaciſſimus* nonnullos reperit. Sic etiam ante annum in cadavere quodam invenit præter arteriam lienalem hinc inde protuberantem

tophaceam & arteriam coronariam lapidoſam, ut & quid petroſæ naturæ cordis thalamo ſiniſtro adnatum: ita Parens meus nuper ad me ſcripſit, ſe in amici πολιάτες uxore, quæ ſingulis ferè menſium periodis intolerabili ὀδονταλγίᾳ vexabatur, dentem molarem evulſum vidiſſe, cujus radicum unam nervulus opplebat, acumine duretieque tantis, ut ſtirpem vel paliuri vel ononidis juraſſes, aquis immerſam, quæ vegetantia petricoſa reddit. Præterea & occurrunt in tonſillis & faucibus, circa baſin arteriæ magnæ, in cordis arteria, in corde ipſo, in mammis, in ventriculo, in inteſtinis, in meſenterio, in vena portæ, in hepate, in veſicula fellis, ubi ante aliquot annos *Cl. D. Lucas Schacht, Phil. & Med. Doct. & Prof. publ. Lugd. Batav.* celeberrimus, præceptor meus plurimum colendus, ultra centum & viginti reperit, uti ipſe mihi retulit. Ita in liene, in venis hæmorrhoidalibus, in umbilico, utero, in glanduloſo corpore quod veſicæ adnaſcitur, in ſummo pene inter glandem & præputium, in abſceſſibus, in junćturis arthriticorum tophaceam & gypſeā quaſi materiam concreſcere notiſſimum eſt. Huc referendum eſt, & omninò legi meretur *cap.* 28. *Marc. Aurel. Sever. Neapolit. de noviſsimè obſervatis abſceſsibus,* libri verè aurei, quem inſcripſit *de Recondita abſceſſuum natura,* ibi à ſe viſum & diſſećtum anno 1640, ait, tuberculum pone vaſa jugularia, quod verum lapidem continuit, in rei fidem citat Excellent. Med. Norimberg. *D. Volkamerum,* qui ipſe iſtud incrementum lapideum, dum Anno 1641. Neapoli apud ipſum vixit, vidit. Plura ex eo capite heic recitare nihil attinet. De calculis per anum excretis & de lapidum pluvia vide *Thom. Barthol. hiſtor. Anatom. cent.* 4. Minimorum etiam calculorum, & quidem plurium per Æoli antrum excretorum hiſtoriam mihi parens meus ſibi viſam Oſterodæ in ſuburbio libero (die freyheit) Anno 1646. narravit. Verum hæc ſaltem in gratiam eorum, qui Medici non ſunt, & tamen præ curioſitate illa ſcire amant.

IV.

Definiri aut deſcribi potius *calculus veſicæ* poteſt, ita, quod ſcil. ſit: *corpus durum varia & incerta figura ex materia ſalinò-terrea ſpiritum urino ſum & coagulantem ſecum vehente, & in lapidis duritiem materiam iſtam cogentem.*

V.

Conſiderato nunc, *an ſit* & *quid ſit,* neceſſariò porrò monſtrandum, ex quibus cauſis demum naſcatur, & coaguletur Calculus, nam ſcire

eſt

eſt rem per cauſas cognoſcere; & ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύσει.

VI.

Heic nunc latiſſimus campus ſentibus vepribuſque denſiſſimè obſitus ingrediendus, ex quo pedem referre illæſum vix poteris. Tam diverſis, contrariis, & ſpinoſis ſententiis undique ſtipati, tentabimus tamen, quò ire tutò poterimus, quod non aliter fieri poſſe putamus, quàm ſi contemplemur & indagemus, quomodo in μακροκόσμῳ generentur lapides, unde notior nobis fiet via inveniendi cauſas eorum in μικροκόσμῳ.

VII.

Principio autem diſtinguendum inter cauſam materialem & efficientem. Materialis non videtur ita obſcura & intricata, ut altera: materiam enim poſſunt ſubminiſtrare ferè omnes res non naturales Medicis dictæ, præprimis autem cibus & potus, principium concretionis in ſe continentes, reliquæ res non naturales adjuvantes ſaltem ſunt, & cauſæ conditionatæ.

VIII.

Ita aër craſſus particulis nitroſis terreſtribuſque ſcatens in corpus ſive per poros cutis (quo modo tamen calculus rarò generatur) vel per inſpirationem admiſſus partes jam ad recipiendum diſpoſitas ulterius afficit & diſponit, ut facilius materiam allatam retineant, obſtruantur & concepto ex mora calore & ſiccitate illam induret & concreſcere faciat.

IX.

Præ aliis cauſam materialem, ex qua calculi generantur & generari poſſunt in homine, ſubminiſtrant aſſumpta ſcilic. Cibus & Potus, quatenus ſuccum viſcoſum, Tartareum Sale fixativo & ſucco terreſtri ubertim ditatum habent, quæ alimenta, ubi in coctione non ſatis meteorizantur (ut verbo *Hippocr.* utar *lib.* 3. *de victus ratione in acut. Text.* 38.) interni hominis σπαγείρου virtute non ſequeſtrata & volatiliſata ſunt, pleniſſimè huic cauſæ fomitem præſtant, ideoque cane pejus & angue res iſtæ iſti fugiendæ, qui ſibi à calculo metuit, corpuſque ſuum ad eum diſpoſitum putat. Quæ autem in ſpecie res iſtæ ſint, operoſè heic annumerare nihil attinet, cùm Medicorum libri id abundè ſuppeditent, quæ brevitatis ſtudio nunc omittimus. Aliàs latiſſimus hîc patet campus diſſerendi de ciborum variis ſpeciebus, præparandi & condiendi modis, de aquis, vino, cereviſiis præſertim non ſatis coctis nec benè fermentatis, recenti-

bus. Unicum ſaltem illuſtrationis ergo addam de farina unde panis conficit, quæ ſi pinſitur intra lapides molares non ſatis duros & compactos, ſed texturæ & conſiſtentiæ rarioris, non poteſt non multum ſabuli ex ipſorum attritu farinæ adhærere ipſique admiſceri: quod certè calculi generationi occaſionem, ſi ad renes fertur, præbere poteſt promptiſſimam; nam materia petroſa in ventriculo reſoluta commodiſſimum præbet principium coagulativum, ſecundum *Iehring in Exercitat. med. de genuina calculorum in renibus & veſica generatioe pag. 29. 30. & p. 42.* inquit, *omnis farina & panis ſaxoſum ſtigma continet.* Verum de talibus præſtat nunc ἀπέχειν, hoc ſaltim ex *Iohann. Baptiſt. Montan. conſult. de morb. part. p. 99.* addendum; materia ſcilic. calculi poſſunt eſſe omnes quatuor humores, ſed crebrius fit ex bile miſta cum pituita, quæ tanquam gluten ſe habet ad calculos, ideò ſubrubeos & citrinos ſemper videmus, cum admixta quadam albedine extrinſecus.

X.

Nec Motus, præſertim violentus nimiſque diuturnus, quique fit vel in equis ſuccuſſoribus curribuſque per inæqualia & lapidoſa loca tractis excludendus, iſtiuſmodi enim motu incaleſcunt multum renes, ſanguis copioſe commovetur ad eoſdem; & cum eodem materia ſalina, terrea, tartarea, alimentum non benè coctum ad vias anguſtas pellitur, hinc obſtructio, hinc calor & conſequenter materiæ Tartareæ induratio & calculus. Quies immodica & diuturnior etiam multum nocet, excernenda intempeſtivè retinendo, cruditates augendo, obſtructionibuſque anſam præbendo.

XI.

Ad eundem ferè modum & Somnus & Vigiliæ generationem calculi adjuvant, utraque ſi modum exceſſerint ſecundùm *Hippocrat. lib. 2. Aphor. 3.* Somnus enim ſi nimius eſt & longius producitur, peracto ſuo laudabili opere, (quod à ſomno exſpectamus moderato); acri qualitate internas partes afficit & pro humiditate ſiccitatem invehit, ut pluribus egregiè *L. Septalius comment. in problemat. Ariſt. p. m. 100.* Vigiliæ item quid poſſint, immoderatæ ſi ſint, in aprico eſt; coctionem quippe humorum impediunt. *Sennert. in paralip. & inſtitut. p. 63.* Vigiliæ faciunt abundare malos humores. *Mont. de morb. part. conſ. 82.* Vigiliæ diuturnæ humores reddunt bilioſos & acres *Zecch. conſ. med. 1. pag. 10.* Vigiliæ omnium cruditatum parentes ſunt. *Heurn. comment. in Aphor. Hippocrat. ſect. 2. pag. 81. Aphor. 3.*

Quan-

Quando itaque partibus internis ſiccitas inducitur, humores crudi & mali cumulantur, accedente extrinſecus ſucco petrifico, clarum eſt, non poſſe non facile gigni calculum in corpore humano, præſertim, quando jam tum adeſt interna diſpoſitio. In ſomno vitandus decubitus ſupinus, quanquam enim Avicenna dicat, dormire ſupra dorſum eſſe ex iis, quæ lapidi conferunt, id tamen accipiendum de ſomno in dorſum, qui fit in paroxyſmo, is enim viarum laxitate & calore prodeſſe pulſionemque promovere, aliàs extra paroxyſmum ex ſupino corporis ſitu renes & lumbi ſupra modum incaleſcunt, præſertim in lectis avium plumis refertis, vaſa vicina ampliantur, materia ad ea loca liberius & ſæpe ἀθρόως ruit, quæ ibi præ ſiccitate & anguſtia vaſorum minimorum renum paulatim ſiſtitur, coacervatur, induratur, aquoſiore & tenuiore ſanguinis parte in halitum abeunte, reliquo coagulationis principium in ſe continente in lapidis duritiem abeunte; quod, dum renes & ureteres patent nec obſtruuntur, paulatim in veſicam illabitur, & in lapidis duritiem concreſcit. Huc meritò referas quod *Paracelſus* memorat *lib. de morb. Tartareis cap.* 13. hiſce verbis: *quò ſiccius* vas aliquod, eò plus humiditatis, & ſic etiam Tartarum attrahit: ita ubi vaſa & receptacula in homine humida multum ſunt, parum Tartari iis apponetur.

XII.

Animi pathemata hic non multùm cures, quanquam ut cauſæ remotæ ſuum σύμβολον huc conferre poſſint. Plurisfacienda ſunt *Excreta & Retenta*, & ad excreta meritò referas intemperatiorem Veneris uſum, eo enim renum ſubſtantia ſenſim ac ſenſim aduritur, eorundem balſamum primigenium depaſcitur inſigniter, & temporis progreſſu hectica ſiccitas iis inuritur, haut longè alia ab illa, quam *Fernel.* vocavit *canoſam.* Multum quoque huc faciunt retenta ultra debitum tempus in corpore, ut ſi alvus pigrior, urina non liberè fluat, aut detineatur diutius ob rationem politicam, tunc enim Sal urinæ ab humido ſeparatur, cum tempore induratur, indieſque nova accedente materia agglutinatur, & in lapideam materiam concreſcit.

XIII.

Ut autem ad rem quam tractamus, propiùs accedamus, experiendum, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, tentandumq; omninò eſt, num τὸ διότι, & unde calculus proximè & intimè conſtet & concreſcat.

creſcat rimari, & cauſam lapideſcentiæ ex abyſſo quadantenus eruere queamus. In cognitionem autem meliorem feret nos λιθογένεσις μακροκοσμική, quam idcircò præmittimus: præſupponendum autem lapides omnes, ſive in majori ſive in minori, homine reperiuntur, non eſſe corpora planè ſimplicia & homogenea, ſed conſtare ex partibus heterogeneis & principiis ſuis conſtitutivis, in quæ merito reſolvenda, antequam de eorum conſtitutione certi quicquam ſtatuas.

XIV.

In Macrocoſmo igitur concreſcere lapides non caloris aut frigoris ſolius vi, ut vult *Ariſt.* 4. *Meteorologicor. lib. cap.* 8. illo humorem exſiccante, hoc vero calorem exprimente, ſed interno quodam coagulante principio: ita legimus in *Ariſt.* mirabilibus, quoſdam ex belli metu apud Pergamum orti confugiſſe ad Lydiæ fodinas, ſed obſtructo orificio inibi conſumpti ſunt, & poſt longum tempus tandem in lapides converſi inventi ſunt. Ita in mari Danico haud procul à civitate Lubecenſi inventus eſt ramus magnus arboris, in quo erat nidus, & in nido aves, quæ omnia in lapides converſa ſunt, referente *Bernhard. Cæſio de Mineralogia lib.* 4. *pag.* 1. *cap.* 1. Plura *cap.* 45. *Charleton.* Guttas continuò decidentes in ſpecu Bumanni ipſe concreſcere vidi, ut & alia multiformia è ſtillicidiis nata, plura hac de re poſſunt videri apud πολυμαθέστατον *Herm. Conring.* Alibi alia huc referenda, ſed plura exempla, ne Criſpini ſcrinia lippi compilaſſe videamur, hic recenſere nolumus. Et omninò hic audiendus *Sennert. lib.* 2. *inſtit. part.* 2. *c.* 9. ita differens: cur non eodem modo in corporibus animalium calculos generari credamus, quo extra corpus noſtrum generari ſæpiſſime videmus? &c. Verum petrifactorum in majori mundo exempla pœne infinita exſtant apud Theolog. Hiſtor. Phyſic. Mineralogos Medicoſque.

XV.

Sed horum effectuum, concretionis ſcil. ſoliditatis, & duritiei cauſa quæ ſit & principium internum, fateor apud plurimos autores ſerram litis reciprocari, mihi rectè videntur ſentire illi, qui primam calculi efficientem cauſam conjiciunt in vim lapidificam, id eſt, fermentum quoddam in renibus generatum, quod urinam deſtruere ſeu in partes ſuas heterogeneas redigere valet, ſine dubio quoque alkalinæ naturæ eſt renibus inhærens, ſæpe calore ibi manifeſtum, ſub ſpecie odoris conſiſtens, ſicut videmus odorem matulæ

impuræ

impuræ mox corrumpere urinam recentem: ollæ odorem acidum corrumpere lac, fermenti odorem fermentare farinam, odorem cadi fracidum vinum convertere in vappam. Urina hoc modo in renibus deſtructa ope inſiti ſui acidi & alcali cum adjuncta terra ſulphure & phlegmate in calculum concreſcit induraturque: eodem modo, quo tartarum in vini doliis produci videmus. Hinc rectè Chymici in ſal lapideſcentiæ & Spiritum urinoſum cauſam rejiciunt, & hoc à poſteriori quoq; probant, dum enim λιθόδενδρον ſive corallium in ſua principia reſolvitur, totum ferè in Sal abit. Ita antehac *Clariſſ. D. Carolus de Maets Chym. Prof. Publ.* calculum veſicæ reſolvit; emanavit Sal volatile & parumper ſalis fixi, Spirit. urinoſus atque Oleum. Quò inclinat quoque *Jehring. p.* 3. inquiens, *Rupes tam ſua ſponte, quam artis beneficio per ſalia in Aq. redire poſſunt; & in ovibus, capris &c. & iis, qui impenſè ſalis guſtu delectantur, frequentiſſimi reperiuntur calculi.* Idem p.10. *Alii in Spirit. Gorgoneum, ut Charlet.* in Spirit. halinitroſos gelantes, ut *Libavius* in Sal Metallicum, ut in ſtatua lapidea Lothi uxoris, cum is non liqueſcat humido ut commune Sal Charleton. alii aliter hanc rem definiunt; omnes tamen conveniunt in hoc, ut principium quoddam coagulativum ſtatuant & agnoſcant: verum quodnam ſit hujus principii πρῶτον δεκτικὸν nemo hactenus ſatis explicavit, exſpectandum felicius ſeculum, in quo ingenia à Deo illuſtrata ἄδηλον hoc patefacient.

XVI.

Interim lucis aliquid huc allatura videtur conſideratio, quomodo putamina ovorum in gallinis & lapilli cancrorum, item cruſtata & teſtacea generentur & concreſcant, ſcil. non calore ſicco, aliàs Aq. ſolverentur, non frigore, tum enim igni liqueſcerent, quod tamen experimentis chemicis contrarium omninò eſt, niſi cauſæ antecedentis & adjuvantis loco calidum & humidum velimus admittere; verùm cauſas has & alias plures egregiè perſequitur & refutat *Charleton. c.2. de lithiaſi,* ut non opus ſit ea huc arceſſere, videamus ſaltem, quomodo fiant ovorum putamina, aſtacorum oculi vel potius lapilli, item quomodo cruſtata & teſtacea teſtas ſuas adipiſcantur: *Oſwald. Grems Arbor. homin. lib.* 1. *cap.* 7. *ſ.* 3. *§.* 12. lapillos cancrorum ex ſemicaſcato & petrificato ſucco fieri ſtatuit, per ſuccum autem caſcatum & petrificatum nihil aliud intelligit, quam ſal coagulans, quod ubique in aqua, terra & aëre præſens eſt, à qua ſententia non abludit *Sennert. de Conſenſ. & Diſſenſ. Galen. &*

Chem. cap. 11. *p.* 181. Cum enim ſuccus ille lapideſcens in terra & aqua reperiatur, & terra quævis plantarum ferax plurimum ſalis in ſe contineat, mirum non eſt, ſi ſuccus ille lapideſcens aut ſal coagulans, ſi non rectè ſeparetur & excernatur, præſertim poſt primam coctionem in corporibus humores, quibus conjungitur, in lapideam duritiem convertat. Imò cum pars quælibet ſibi ſimili ſucco nutriatur, quicquid in alimentis eſt ejuſmodi ſucci & ſpiritus & ſalis coagulantis in animalibus ad oſſium, teſtarum, lapillorum, qualis in hirundinibus, conchis & aſtacis aliiſque plurimis inveniuntur, conſtitutionem & generationem abſumitur, id quod ipſa experientia teſtatur, in ipſorum enim reſolutione talia pleraq; ferè nihil aliud ſunt quàm ſal aut certè copioſſimum ſal exhibeat, ovorum cortex exterior in gallinis fit ex excremento illo ſtercoraceo albo cretaceo, quod ex renibus deſcendens cum ad ovarii fundum venit, ibi in teſtam illam concreſcit.

XVII.

In aquis & fontibus quibuſdam nonnulla etiam lapideſcere experientia & hiſtoriæ teſtantur, ob ſal ſcil. coagulans aut ſaxoſum fermentum, ut placuit Grembs, & poſſunt videri de hiſce autores varii hanc rem hiſtoriis ſuis egrigiè illuſtrantes, præcipue *Nobiliſſ. D. Boyle in tr. d. Hiſt. Gemm.* ſaltem hoc addendum, quum non ex quovis ligno Mercurius fiat, nec ex quolibet quodlibet, ſed ex prædiſpoſito & determinato, hinc materiæ aptitudo & inclinatio, ut hoc vel illud fiat, requiritur, quam in corpore humano ſex res non naturales Medicis dictæ ſubminiſtrant, de quibus in ſuperioribus.

XVIII.

Ex hiſce palam eſt, & abunde, ut putamus, conſtat, quomodo in μακροκόσμῳ & μικροκόσμῳ lapides fiant, an vero hoc fiat per intus ſuſceptionem, an per accretionem ſive appoſitionem, jamnum non diſputamus, quanquam poſterius placeat. Itaque nunc ad ſigna lapidis veſicæ accedendum, ubi ſimul & renum calculi conſideratio ob loci vicinitatem & ſymptomatum convenientiam non negligenda.

XIX.

Et in puerulis, maſculis præſertim, cum femellæ rarò aut ſaltem minus maribus, iis tententur, calculi præſentiam monſtrat, quando difficulter mejunt & cum ploratu, pudendum ſæpe manibus con-

trectant

trectant fricantque, penis erigitur & alvus iis ex nimio conatu in urina reddenda laxatur, imò quandoque & inteſtinum rectum ſimul prolabitur, dolores aliquando mentiuntur ſtranguriam, præſertim in fine mictionis. Accedit, quod calculo veſicæ laborantibus, aut quibus jam materiæ in calculum coagulatio imminet, aut impræſentiarum fit; ſoleat viſcoſa admodum materia, muci narium inſtar, cum urina excerni; quæ concuſſione matulæ non facile divellatur; ſed fundo matulæ, etiam vitreæ, pertinaciter adhæreat. Quandoque etiam ſabuli mictio adeſt, quanquam, ut vult *Joël lib. 6. pract. pag.* 132. non omnes, qui ſabulum emingunt, calculoſi ſint; ſabulum enim non coaleſcit, in calculumque concreſcit, niſi interventu humorum viſcidorum. Et *Henricus ab Heers l. 1. obſervat.* 27. *p.* 229. nullum certius putat dari pathognomonicum ſignum calculi veſicæ, quàm ſi quis, accedente maximè urina lactea, egeſturiendo mejat, & mejendo egeſturiat. Et *Ballon. lib. 2. Epidem. p.* 245. cum vomunt ſæpe & contorquent corpus pueri loco non conſiſtentes, de calculo conjectura eſſe poteſt. Hæc autem ſymptomata & ſigna non ſemper adſunt omnia aut ſimul, nec omni tempore, ſed quandoque hæc, quandoque illa, & repetunt dolores ſæpe ad motum lunæ, motis tum cum humoribus lapidibus cruciatuſque immanes gignentibus. In adultioribus eadem ferè obſervantur ſigna, ſed inteſtini recti prolapſus in iis vix obſervatur, quod firmius oſſi ſacro per peritonæum ſit adnatum, nec ita humidum aut laxum ut in pueris, inteſtini recti exitus tantum in calculo veſicæ, non autem renum obſervatur.

XX.

Num autem calculi in renum ſubſtantia aut eorum cavitatibus generentur, aut hæreant, διαγνῶσαι certa vix queas probare, quanquam poſterius *Fern.* contra αὐτοψίαν neget, majores tamen in ſinubus concreſcere, minores in ſubſtantia, ratio videtur ſuadere, ut non neceſſum ſit operoſè de hoc hîc diſputare & argumenta *Fern.* huc afferre, adeat qui volet ipſum *in lib. 6. de part. morb. & ſymptom. cap.* 12. Contra *Fern.* ſunt *Galen.* ipſe *comment.* 1. *in* 6. *Epid. text.* 6. *&* 2. *de natura humana & in libr. de Renum affectib. Sign. & curat. Amat. Luſitan. in praxi hiſtor. lib.* 8. *c.* 16. ubi cauſam affert, quare calculi etiam in cavo renum concreti rubeant dicens: rubrum conflari calculum ex ſanguinis portione bilis alteriuſvè ſucci commixtione cum ſucco glutinis æmulo, puta tenaci pituita. *Foreſt. lib.* 24. *obſ.* 16.

Felix Plater. & *Euſtach. Rudius c.* 45. dicit, lapides non ſolum in ſinu renum contineri, verùm etiam in ipſa ſubſtantia reperiri compertum habeo.

XXI.

Renum calculi hoc etiam videntur habere proprium, ut ſabulum tenue initio emittant, in arenulas cum tempore concreſcens, veſicæ vero lapis tale quid de ſe vix profert, utpote dutus & non friabilis, quanquam improbabile non ſit, arenulas etiam in veſica concreſcere coagmentatione lapidoſa, quod σώαγμα facilè fit à lento ſucco in veſica, etiamſi in renibus rudimentum nullum ſumpſerint, pondus quoque circa pectinem ſentitur, iſchuria & totalis urinæ ſuppreſſio adeſt, cùm ad oſtium veſicæ hæret, quando vero lateri ipſius affixus eſt, liberius fluit urina, & dolor paucus adeſt, imò teſtantur hiſtoriæ Medicæ quoſdam per totam vitam nihil de lapide veſicæ ſenſiſſe, poſt mortem tamen per anatomiam in apricum veniſſe. Alia ſigna de numero, quantitate, figura, colore, ſubſtantiæ modo & de ſuperficie, glaber ſc. an aſper ſit, lubens prætereo, cùm in Medicor. libris hæc abundè narrentur.

XXII.

Non poſſum tamen non hic apponnere diſcrimen, quo Nephritis ab aliis, qui vel ob ſymptomatum analogiam, ac locorum affectorum viciniam paroxyſmum mentiuntur nephriticum, affectibus ſejungatur, ne turpiter in curatione erremus, ægrumque in majus diſcrimen præcipitemus. A colica itaque, cum qua tam ſimulatè convenit & fraude tam occulta, ut ægrè diſtinguere poſſit alterum ab altero non tantum empiricus, ſed & rationalis Medicus, longoque rerum uſu exercitatus, ut de ſe ipſo ingenuè fatetur *Galen. 2. de loc. affect. c.* 5. Cum enim ex vehementiſsimo colico dolore ex pituita vitrea, perterebrantis doloris ſenſum inferente, laboraret, alteri ureterum impactum calculum putavit, antinephriticaque auxilia uſurpare aggreſſus eſt, verùm falſò, ut citato loco apertè demonſtrat.

XXIII.

Itaque videndum accurate, quibus diſſideant hi duo cognati affectus: & diſcrimen primùm ſumitur à loco, nephriticus enim ſemper hæret quaſi infixus in uno loco circa dorſum, colicus vero ſæpè peregrinatur, locum mutat, & per omnem inteſtinorum circuitum oberrans in pectinem ſæpe uſque declinat; ſecundò ſi dolor ſupra

renes

renes eſt, certum eſt ad inteſtina pertinere affectionem & magis antrorſum vergit, quam retrorſum; addunt quidam tertiò ex *Hippocratis 6.epidem. ſect.1.text.5.* tempus doloris ſcilic. à paſtu acerbius dolere nephriticos, ita enim ille cit.loc. *ἐς νεφρὸν ὀδυνηρὰ χρεία, ὅταν πληρῶνται σίτου.* Quo etiam *Avicenn.* inclinat, dum renalem dolorem fieri vult validiorem vacuitatis tempore, quo colicus lenitur. Verùm hæc ita ſimpliciter non ſunt accipienda, colicus enim potius à ſumpto cibo exacerbatur, ventriculo & inteſtinis diſtentis, nephriticus vero blanda chyli appulſione demulcetur & mitigatur, communicata leniente laxanteque alimenti humiditate; aliud tamen eſt, ubi alvus ſtipatur, tunc enim miris modis dolor augetur, uti hæc fuſius apud Practicos legimus & experientia uberrimè hoc teſtatur. *Quartò* plerumque arenulæ in dolore nephritico excernuntur cum urina, unde *Auctor lib. de natur. human.* *ψαμμώδεα ἐν τῷ οὔρῳ* ponit proprium veluti & pathognomonicum ſignum nephritidis, & *Hippocrat. in 6. epidem. ſect.1.text.4.5. & aphor.* 80. quo etiam collimat *Avicenn.* 18.3. *tract.* 2. *c.*17. arenulas ſemper ſignificare dicens lapidem, qui vel gignitur vel ſolvitur, hæc ſigna in colica non ſunt. A renum phlegmone non admodum difficulter diſtinguitur, conjungitur tamen non rarò cum illa, uti in praxi hoc obſervare eſt, ſicuti poſtea docebitur.

XXIV.

In ſignis prognoſticis dandis res difficilis non eſt, præſertim quæ calculum veſicæ concernunt, *VVillis p.* 363. *ſatius eſt,* inquit, *grandiores in foveis ſuis immotos permanere, is enim ſi grandior paulò eſt duriorque, citra ſectionem curari, aut è corpore pelli vix poteſt, quicquid multi contra ganniant.* Unus *Guilhelmus Laurenb.* de ſe gloriatur medicamentis, quæ ipſe *in libello ſuo de calculo veſicæ* ex arte deſcribit, comminutum, fractum & expulſum, verùm non abſque ſummo vitæ diſcrimine & tædio maximo & diuturno, imò cum æque dubio & periculoſo eventu ac ſectio ipſa eſt, quemadmodum hæc omnia accuratè & candidè in dicto libello notata inveniuntur. Non me latet quidem, quàm multi ſint, præſertim ex chemicis, qui ſatis audacter ſpondent, imò intrepide, & infallibiliter per hoc aut illud arcanum calculum in veſica diſſolvi poſſe & ex corpore expelli audent aſſeverare, & alii bonæ notæ Medici idem teſtantur, ut *Horat. Augen. lib.9. tom. 2. epiſt.8. Vnzer. lib.1. de Nephritide cap.* 19. *Scaliger exercitat.* 344. *ſect.* 8. *Monard. lib.* 1. *ſimpl. medicament. ex novo orbe allator. cap. de Cochos. Li-*

hav. 1. *ſyntagm. lib.* 2. *cap.* 29. *Schenk. lib.* 8. *obſerv.* 218. non poſſum quidem tantos Medicos mendacii arguere, verùm non abludimus fortè à veritate multum, ſi dicimus lapides iſtos friabiles fuiſſe ad modum pumicis, & nondum ſilicis duritiem acquiſiviſſe, utut non injuſtè huc trahas *Avicennæ* dictum *Quarta quarti tr.* 2. *cap.* 10. multoties ſervatur aliquis abſque ſpe mirabiliter. Quò plures ſunt calculi quoque majores, eò graviora portendunt pericula, nec major ſpes ab angulofis aſperis & ramoſis ſpectanda. Si continui ſolutio adeſt hancque excipiens inflammatio, periculo non vacat. Urinæ ſuppreſſio ſive Iſchuria ut non ſemper metuenda, ita ſi ad dies aliquot protrahitur, puta ſext. vel ſept. diem, etiamſi iterum fluat urina, tamen ut plurimum moriuntur ægri, ſerum enim ſuperfluum mox totã ſanguinis maſſam coinquinat, caput tentat omniumque viſcerum naturalem tonum enervat, uti Parenti meo in Johanne Sturen cive & Mercatore Hamburgenſi Brunſvici mortuo, cui per 7. dies ſteterat urina, & ſolius Terebinthinæ uſu profluxit, notatum. Sic præterea fibræ veſicæ aliquæ rumpuntur nimia illa diſtenſione, hinc reſilientes, chordarum inſtar prius in inſtrumento muſico extenſarum; turbato ſuo, ordinato antea, ſitu obſtruunt exiguos canales ſeu tubulos inter fibras partium intermedios. Qua re circulatio humorum pro nutritione veſicæ illac pergentium ſiſtitur, membranæque, ex quibus veſica conſtat, intumeſcunt. Unde & urina intus in veſica contenta premitur; & vice verſa. Unde veſicæ inflammatio, exulceratio, febris, convulſiones & ipſa denique mors. Ita ſentiente *Cl. V. Theod. Craanen, Ph. & Med. D. & hujus Prof. publ. Fac. Decan. Promot. meo honorando.*

XXV.

Manet itaque firmum majores drioreſque ſola ſectione tolli, neque hoc tamen ſine maximo vitæ diſcrimine, ipſa experientia hoc atteſtante, qua conſtat plurimos ita ſectos vita ſua brevi poſt functos eſſe, quando enim veſicæ lateri adhæret firmiter, ſine dilaceratione vix avelli poteſt, unde convulſio facile ſuccedit, qua plerique moriuntur. Minores Sennerti judicio, vel non apprehenduntur, vel apprehenſi effugiunt aut franguntur, mediocres verò tutius extratur: ejiciuntur quoque facilius in mulieribus, ob brevem & amplum veſicæ meatum. Si malum hæreditarium, vix unquam curatur, & ut renum ita veſicæ vitia in ſenibus difficulter curantur, juxta Hippocrat. lib. 6. Aph. 6.

XXVI. Poſt

XXVI.

Poſt πρόγνωσιν ſequuntur in Methodo medendi indicationes & curatio. Indicationes ſive indicantia propriè ita dicta, & ſpeciatim monſtrant, quomodo procedendum ſit tum in præſervatione, tum in curatione, unde quædam indicatio dicitur præſervatoria, curatoria *altera*, oſtenſionemq; auxiliorum ſubminiſtrat, & *tertia* vitalis. Præſervatio ſive indicatio præſervatoria reſpicit omnes cauſas ex quibus calculus generari poteſt tam in genere quam in ſpecie; generales ubique traduntur, & in ſuperioribus quædam attigimus, uno nomine, *Sex res non naturales* huc pertinent; ſpeciales concernunt ſubjectum ſive individuum ejuſque διάθεσιν ſive propenſionem ad calculum, ſive hæreditaria ea ſit, ſive adſcititia. Hinc oriuntur ſeqq. indicata, ut generalia (nam alia huc arceſſere nil attinet) alterum dicitur indicatum in quid ſcil. agendum, alterum in uſum ſeu quomodo agendum: in quid docet ipſam auxilii aut remedii naturam & eſſentiam, ita ut norim, num hoc remedium ſive medicamentum ſit calidum, frigidum, humidum & ſiccum, item in qualitatibus ſecundis & tertiis, quomodo ſe habeat remedium, num diureticum ſit vel diaphoreticum aut alvum ſolvens &c. Sed non ſufficit noſſe hæc, ſed inſuper accuratè diſtinguere debemus, quid huic vel illi individuo, huic vel illi morbo conveniat, cùm non curemus hominem in genere, ſed in ſpecie; Indicatum in uſum monſtrat rectam remedii exhibitionem & adminiſtrationem ſc. ut ſciam rectè eo uti, quod ab *indicante* eſt indicatum.

XXVII.

Et hiſce jam traditis tota pendet præſervationis & curationis energia & modus, quem brevibus nunc apponere animus eſt, & ordo id omninò poſtulare videtur. *Præſervamus* autem hominem à calculo, quando hujus generationem impedimus præcidendo nimirum cauſas omnes, quæ ad γένεσιν lapidis quicquam conferre judicamus: deinde *curandum*, ut qui concrevit genituſvè eſt per σύνθεσιν calculus per ἀνάλυσιν cum converſione retrograda reſolvamus, èque corpore deturbemus. Tertio doloris vehementiæ ſtrenuè occurremus, inde enim nonnunquam præ doloris acerbitate æger continuò vigilat, ſanguis inflammatur, ſpirituſque diſſipantur & vita periclitatur.

XXVIII.

Primum obtinemus bona diæta, & vitando cibos omnes, qui

gluti-

glutinoſum, bilioſum, craſſum, viſcidum & Tartareum ſuccum præbent, non excluſa pituita Praxagoræ citante *Scalig. exerc.* 108. *ſ.* 3. ut panis non bene fermentatus nec probè coctus, (qui furfuris adhuc aliquid admiſtum habet, ſalubrior eſt, utpote detergendi vi præditus) caro ſuilla ratione viſciditatis, gluten quaſi in ſe habentis, damnatur, ut & carnes omnes duriores ab annoſiſque animalibus ſumptæ, carnes item ſalitæ, muria conditæ, fumoque induratæ peculiariter ad lapidis generationem facere creduntur, & experientia videtur hoc confirmare. Lac & lacticinia, ut caſeum, multam materiam tribuere ad calculum nemini non notum eſt. Egregia ſunt, quæ in hanc rem notat *Hippocrat. de morb.* 4. *ſect.* 5. *p.* 512. in codice *Foeſii* inquiens: calculi principium ex lacte oritur, ubi puer lac impurum ex mamma ſugit, & ſi quid in lacte non purum fuerit, in veſica fit lapis eo modo, quo in aqua minimè pura in calice vel aheno agitata confertim in medio ſedimentum conſiſtit, cui applaudit *Galen. 6. epid. ſect.* 3. *comm.* 15. *&* 5. *de ſanitate tuenda cap.* 7. & *Sebiz. lib.* 3. *de aliment. facultatibus cap.* 17. *Matth. in lib.* 2. *Dioſcorid. cap.* 66. nec non *Helmontius libr. Auror. part.* 1. *cap.* 17. Non poſſum me continere, quin hic etiam afferam, quæ in problem. ſuis olim dictavit præceptor quondam meus *Iohann. Theodor. Schenkius Profeſſor Med. Ienenſis*, ubi quærit, an calculum caſeus generet? ℞. Sanis ſecundum *Celſum* omnia eſſe ſana, itaque neque caſeum, ſi in ſanum corpus incidat, morbum facere, in neutris vero diſpoſitionibus dubium non eſſe, quia debilem habent ventriculum & cibos difficiles male coquunt, quin calculos generet. Verum objicit caſeum fermentationē promovere, ſecundò habere vim reſolvendi. ℞. ad 1. Caſeus non quilibet fermentat, ſed qui benè eſt ſalitus. deinde Fermentatio non prohibet coagulationem homogeneorum ab interno principio, ſed heterogenea ſaltem diſſolvit. Ad 2. Caſeus qui vetuſtus eſt aliiſque junctus & permiſtus vim habet reſolvendi tumores & tophos podagricorum. Videatur etiam *Galen. de ſimpl. medicament. facultatib.* Ubi tamen hoc obſervandum, multos innoxiè ejuſmodi cibis per omnem vitam, ut lacte & caſeo uti, nec unquam calculo tentari, quod ſcil. habeant renes non ita calidos, ſiccos & anguſtos, hinc ſemper debet Medicus reſpicere ad individui conſtitutionem: nam licet ex materiæ interna diſpoſitione ſeu ſucco lapideſcente aut forma, cui omne hoc tribuit *Scaliger. exercit.* 115. lapides generentur in thermis, & aliis aquis & fontibus: quo reſpiciens Ovid. ita canit:

canit: *Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit Viſcera, quod tactu inducit marmora rebus,* tamen ſi materia iſta idoneum ſubjectum nacta non eſt, nullus lapis fit. Sed de his quædam diximus *theſ. ix.* hoc ſaltem meretur addi, quod cum philoſophis diſtinguendum ſit inter *αἴτιον*, principale agens, & *συναίτιον*, ſine quo primarium agens finem ſuum non aſſequitur, aut quod aliquid ad faciliorem concretionem contribuit, ſic calor & frigus, & illa *συναίτια* etiam attendenda propter curationem.

XXIX.

In potu præfertur cereviſia hordacea lupulo ſalictario debito modo condita, triticea licet plus nutriat priore, viſciditatis tamen inſignis ex tritico particeps eſt, ratione cujus obſtruit calculoque occaſionem præbet. Hinc *mummia* noſtra ſalubrior multo eſt, quam Breihania, & illa poteſt rectè diu potus medicamentoſus, uti hæc alimentoſus, nec attendendum, quod dicunt noſtrates mumiam calculum promovere; movet, ſed non gignit. In malto præparando, quod ex laudabili frumento confici debet, ſumma diligentia eſt adhibenda, ne ſc. nimium torreatur, unde cereviſia intenſe rubet & ἐκπύρευμα redolet, & quod non ſufficienter torretur aut exſiccatur, flatulentiam ſuam poſtea oſtendit potatoribus. Cumque potius ingrediens ſit aqua, ex hujus bonitate aut pravitate variat multum cereviſia, ut neceſſum ſit omnino ei, qui de cerviſiæ notis judicium ſuum ferre præſumit, illius naturam probè perſpectam habere, & tunc firmiter concludere poteſt de cereviſia, num calculo generando idonea ſit, an ſecus: quædam enim aquæ inſito ſuo principio ſponte in lapidem coëunt, quarum exempla *Plin. Petræus* & alii notant. Quæ vero aquæ ſalis, nitri potiſſimum, poſſident multum, cum calculi reſolutivum in ſe ipſis habeant, ſalutares ſunt calculoſis, & cereviſiæ ex ipſis coctæ. Quo nomine multum laudat cereviſiam Naumburgenſem *Chriſtian. Langius in Scrutin. Thermar. c. 2.* ibi meminit fontis cujuſdam in confinio Naumburgi, in cujus fundo lapides obſervavit tam molles & quaſi cereos, ut manibus dentibuſque inſtar mollis argillæ diduci potuerint. Num hæc quoque de cereviſia dici queat, quam Dueckſtein, à lapide, quem aqua perfluit, vocamus, valde dubito; potius multum nocere calculoſis exiſtimo. Iſta enim aqua præterquam quod frigida ſit valdè, utpote ſolem non aſpiciens, etiam plurimum de ſaxo, quod continuo per-

luit, participiat; quod ſaxoſum miaſma facilè ſuæ naturæ memor, in calculum abire poteſt.

XXX.

Ad aſſumpta plurima adhuc potuum genera pertinent, & cibi varii ex variis animalibus petiti; multifariis quoque modis præparati, quorum catalogum heîc contexere; cùm de his Medicor. pleni ſint libri; meritò ſuperſedemus: ad eoſque lectores amandamus. Cæteras *non naturales res* ſuperius quodammodo vidimus, nec attinet eas ſingulatim hic ponere, potius ad id convertenda opera, ut videamus; quomodo id, quod coire incipit, rudimentumque capit, antequam in lapidem concreſcat, è corpore deturbemus, quod ſeqq. non difficulter obtinemus.

XXXI.

Certum eſt, & cuivis leviter ſaltem in Medicina inſtituto notum, ex cibis craſſis, ſalino-terreis, viſcidis, pituitoſis Tartareiſque in ventriculo debili ejuſque fermento illegitimo multa excrementa colligi, quæ ſi non debitè poſt primam coctionem ab utilibus ſegregentur ad inteſtinaque inferiora amandentur, per vaſa lactea eaque fortè nimis ampla ad Receptaculum Pecqueti, dein per ductum thoracicum ſurſum tendenti chylo & mediante ipſo, ipſi ſanguini miſceri, ipſum conſpurcare; qui ita impurus tandem per emulgentia vaſa ad renes calidos, ſiccos fortè & obſtructos delatus, ibi moram trahit; excrementa modo memorata ulterius indurantur, tandemque lapidis conſiſtentiam adipiſcuntur; quibus ut in tempore obviam eatur, partim vomitionibus, partim alvum ſtimulantibus medicamentis inſiſtendum, adque Æoli antrum divertenda ſunt.

XXXII.

Inter Medicamenta iſta facilè primas tenet Tartarus, & omnia quæ ex ipſo fiunt, *Tartarus vitriolatus, Spirit. aperit. Penotti. Mixt. aperitiv diuret. Gruling.* (neque hic ſtatim à diureticis, ut ſæpè fit, initium curationis faciendum; magno ſanè ægrotantium damno.) Vomitum movent *Extract. Vomitiv. Glaub. Aq. benedicta Rulandi. Tart. Emet. Minſicht. Sal vitr. Croll. Panacæa Solis, pulv. Aſar. aq. tepida ſalſa*, alia ex *Antim.* notavit *Gruling. in Florileg. chimice. pag.* 89. multa etiam alia apud *Rolfinc.* Præceptorem meum, dum in vivis erat, venerandum, *in ordine & methodo medendi ſpeciali pag.* 550, *in Appendic. Zvvelf. ad Pharmacop. Auguſt. p.* 76. plura non allegabo, ne oſtentationis vitium incurram.

curram, nec formulas eorum deſcribam, cùm id hic non expediat. In vomitu tamen ciendo, ut ſimus cauti, oportet, ne præſcribantur ventre conſtipato, nec hieme, niſi cogat neceſſitas, nec in vomitum cogendi adipoſi, qui capite ſunt infirmo, Cephalalgia, hemicrania, hæmorrhagia, pulmonumve morbis tentantur. Tempus vomitoriorum exhibendorum opportuniſſimum eſt luna creſcens. Hæc per intervalla ſunt uſurpanda, quo lapidis generationi occaſio præcidatur.

XXXIII.

Progreſſu morbi & quando calculus incipit urgere, ſtranguria ſæpè moleſtat, urina cum difficultate exit; fortiora in auxilium ſollicitanda, alvumque moventibus ſpecifica admiſcenda, quæ Tartaro coagulandi potentiam adimant, ut *Terebinthina* in hoc negotio tantoperè à *Galeno* decantata. 5. *de Sanitate tuenda cap.* 9. *Amat. Luſitan. cent.* 1. *curat.* 63. *Hercul. Saxon. Panth. lib.* 3. *c.* 41. *Foreſt. l.* 24. *obſ.* 20. *Levin. Lemn. l.* 1. *de Compl. c.* 9. *Donz. in Conſil.* 148. & à *Iohann. Craton.* pluribus in locis. Exhibemus illam in varia forma, in pilul. pulvere, ovo ſorbili, ſi nimirum ʒij, plus minus cum vitello ovi diſſolvantur admixto decocto cicer. rubr. ad ℥iij. vel ℥iv. cum pauxillo *Balſam. juniper.* aut *Peruviani.* Pilulæ ex Terebinth. egregiæ ſunt, quas deſcribit *Charleton de Lithiaſ. c.* 3. *p.* 203. & cum videantur ex arte compoſitæ eſſe multæque energiæ, lubet eas hic apponere. ℞. Terebinth. Cypriæ ℥j. ſordibus in aqua chamæpitys. prius ablutis, coquito in aq. ſtillatitia ex integro virgæ aureæ, in ſummo vigore, florumque ſuperbia detonſæ, uſque dum induat albedinem: tunc adjunge: *Rhabarb. opt. pulver.* ʒvj. *Lapid. Cancri* ʒiij. *Tart. vitriol.* ʒij. *Extract. juniper.* ℈ij. *Spirit Salis marini ultimo igne reverberii eliciti, gutt.* viij. incorporentur in conſiſtentiam pilulis ſatis ſolidam. Voretur ʒj. mane veſperique per 20. dies, ſuperinfuſo decocto ligni nephritici. Cynosbati fructus multum etiam deprædicantur, quocunque modo præparati ad eradicanda lithiaſis ſemina, reſolvendumque Duelech noviter embryonatum in prima entia. Poteſt de his videri *Vnzer. de Nephritid. lib.* 1. *cap.* 26. *Sennert. lib.* 3. *part.* 7. *ſect.* 1. *cap.* 61. *Lignum nephritic.* ex nova Hiſpania Europæis littoribus aſportatum. *Manard. lib. ſimpl. medicamentor. ex India allator. cap.* 27. *ita Spirit. baccarum juniperi rectificatus* & ſuper *rob. juniperinum* loco calido per aliquot dies digeſtus, donec ſaturatè tincturam rubini imbibat, dimidii cochlearis doſi hauſtus, à *Grego-*

rio Horſtio multum laudatur. Hiſce verò omnibus palmam præripere videtur *pulvis aſellorum* vino Hiſpanico inebriator. & ad ſolem exſiccator. uſurpatus, cui ſoli *VVilhelmus Lauremberg. in ſuo de calculo veſicæ libello* curationem omnem tribuit, credibile tamen valde eſt ea, quæ ante uſum aſellor. adhibuit, multum etiam juviſſe, & ad feliciorem curationem viam ſtraviſſe.

XXXIV.

Viſis nunc, quomodo inclinatio ſaxipara renibus aut veſicæ impreſſa declinari, quodque jam incipit concreſcere diſſolvi èque corpore eliminari poſſit, reſtat, ut ad rem propius accedentes ſalino-terrei embryonati, & in lapidem confirmati exploſionem moliamur per antigorgonica remedia, & ut vocant ſpecifica, non omiſſis iis, quæ conſopiendis urgentis calculi cruciatibus ratio & experientia monſtrat, ut ſunt phlebotomiâ, quam dolores nephriticos promptè ſolvere ſtatuit *Ballon. lib. 2. epidem. p.* 230. quia ad compeſcendum humorum motum ad renes inclinantium, nihil prius ſit phlebotomia; quanquam affectus, quatenus talis, hoc remedium non expoſcat. Clyſteres malactici, fotus, Unguenta, Balnea & decocta ex emollientibus & anodynis compoſita, quorum catalogum hic attexere, cum παῖδα ἰατρῶν & tenuiter ſaltem in ſimplicium cognitione inſtructum hæc non poſſint latere. Hic nempe omnia iſta valent, quæ in renum calculis, eorumque doloribus adhiberi ſolent. Ideoque nunc ſaltem, quæ veſicæ lapidi comminuendo, èque corpore ejiciendo uſu probata comperimus attingere, quantum quidem in hac rerum caligine, medicaminumque obſcuritate præſtare poſſumus; in animum induximus.

XXXV.

Non curamus autem hic aliorum nugamenta, quæ tamen multis inſulſè placent, quando vel acidis, corroſivis aſperiſve omnem frangendi calculum virtutem tribuunt, cùm tamen, nec acida primæ digeſtionis calore acore ſuo ſpoliata quicquam poſſint: & quod ſuccus citri juvet, longè alia eſt ratio, nimirum agit volatilitate ſua; eodem modo ut Spir. ſal. dulc. & nitri, qui per omnes coctiones integri & illæſi manent; aliàs medicamenta omnia forent irrita parumque efficerent. Nec corroſiva integris viribus ad veſicam perveniunt, inſuper vitæ noſtræ ſunt infenſa, citiuſque ventriculum & alia viſcera, per quæ tranſeundum ipſis eſt, perforatura, quàm quicquam de lapide abraſura. Nec credendum pueriliter pulveres quoſdam,

dam, ut vitrum combuſtum, cortices ovorum aſpredine ſua calculi ſuperficiem conterere; ubi enim manet ſcabrities per tot ductus meantis medicamenti? centies corroderet citius lethaliterque ſauciaret, antequam ad veſicam pertingeret.

XXXVI.

Verum quid tandem eſt, quo calculum veſicæ citra ſectionem curare præſumimus? aſt hic Rhodus, hic ſaltus, neceſſarioque ad *τὸ θεῖον Hippocr.* confugiendum. videamus ſaltem quædam, quæ hoc facere uſus aliquando probavit, & imprimis laudatur *ludus Paracelſi*, cujus tamen dextram præparationem ſub ænigmate ita occultavit, ut neſcias in tanta variorum auctorum varietate & deſcriptione, cui fidas. In hujus autem defectu plurima alia ſunt ab aliis excellentibus Medicis excogitata laudibuſque ad cœlum uſque ſublata, quorum tamen fidem eventus hactenus non uſque quaque firmavit. Horum egregia quædam notavit *Charleton* in calce ſui *de Lithiaſi* libelli, ubi illa poſſunt videri. *Extract. diuret. Glaub. part.3. Forn. p.* 34. commendatur ibidem multum *ſolutio ſilicum & cryſtallor. c. Spir. Salis* facta, *Lignum Nephrit. in aqua* commun. maceratum vitiis renum & veſicæ medetur, *aq. cærulea* redditur, poteſt ea vinum dilui. *Schott. in Mag. univerſ. part.* 1. *lib.* 5. *p.* 220. *Calculus in Veſica porci inventus.* Ita *D. Dichiſohn* in calculi affectibus laudavit ceu decantiſsimum remedium *Aq. antinephriticar. herb.* aliquandiu cum *calce ovorum* bene calcinata excoctas. *Barthol. lib.* 4. *epiſt. Medicin. pag.* 526. *Nitri Spirit.* calculos quoſvis ſolvit teſtante *Cl. Sylvio* in prax. Sal *Minſich.* in aq. appropr. *Spirit. Calc. viv.* ſummum remedium jactat *Keſlerus.* Nihil utilius in profligando calculo quam *Spirit. calc. viv. Barth. centur.* 4. *epiſtol. med. pag.* 451. *Herba cheræfol. cum oleo ſcorpion. toſta* & veſicæ applicata in pueris ſæpe calculum expulit. *Vrina ſuis* calculum renum & veſicæ pellit *Tabernomont. in hydrotheſauro ſuo p.* 518. *Paſſeres troglodita* mirè faciunt contra calculum, unus pro doſi crematus & pulveriſatus. *Sebiz.* venerandus ſenex ultra centum nunc annos natus. *lib.* 3. *de Aliment. facultatib. pag.* 891. *& Kircher. art. magn. lib.* 3. *part.* vij. *p.* 720. Videntur etiam *Crato à Krafftheim Conſ. Med. pag.* 420. Hujuſmodi autem calculum frangentia & pellentia remedia exhiberi debent ægro in balneo aquæ dulc. medicato ſedenti, corpore prius per vomitum aut lene catharticum expurgato.

XXXVII.

Sed cum hæc omnia etiam optimè excogitata & ex arte elabora-

ta remedia, uti jam aliquoties innuimus, finem ſuum non ſemper aſſequantur, nihil reſtat ulterius, quàm mediis, quæ extus in veſicam per Syringem immittuntur; inſiſtamus; cum prudenti tamen ϛοχασμῷ & magna circumſpectione, ne membranoſum veſicæ corpus ab acribus erodentibuſq; lædatur. Laudatur multùm in hanc rem à *Zecchio conſ.* 30. *ſanguis hirci*, fortè ex ea perſuaſione juvat, quod adamantem emollire fingatur, aut *ſanguis vulpis calens* per fiſtulam argenteam injectus, tùm etiam pubi & perinæo illitus maximam vim habet ad calculum in veſica alterandum, addit tamen, ne hic vetuſtate obduruerit. Alii alia commendant, qui ſi experientia & fido rerum uſu ſua comprobare & confirmare poſſunt, ſequendi ipſi ſunt, ſin autem periculi pleniſsima, meo ſaltem judicio, abſtinendum.

XXXVIII.

Lithotomi manu, quomodo veſicæ calculus tractandus exſcindenduſque ſit, variè à variis traditur: quidam ſolis digitis id peragi poſſe non verentur affirmare, contra quos tamen eſt epiſtola *Bartholin. cent.* 4. *epiſt. medic.* 19. Nec ſupra os pubis tutò fit inciſio obſtantibus ubique vaſis, ut *Borrichius in epiſt. ad prænominatum Barth. ejuſd. centur. epiſt.*17. Ante ſectionem autem debet corpus præparari bona diæta & per alvi fecum depoſitionem, dein digito vel cathetere explorari, an mobilis ſit in veſica lapis, aut hæreat ipſius lateri, hoc ſi fuerit formidabilis admodum ob vaſorum & membranæ dilacerationem, hinc ſanguinis profuſionem inflammationemque ſubſecuturam, & tunc præſtat forſan dicere, manum de tabula. Secantur hodie omnium ætatum homines, & quovis anni tempore, ſunt tamen & in his circumſtantiæ quædam attendendæ, quæ peritos lithotomos non latent. Locus ſectionis inter fœmineum eſt, aut perinæum Græcis dictum. Nec audiendi hic *Ruſſetus & Franco* locum in hypogaſtrio circa pubem demonſtrantes, quanquam non ſum neſcius naturam interdum per hanc regionem ſeſe exonerare & à calculo liberare velle, uti obſervavit mihique retulit Marggravius Med. Doct. & Chemicus celeberrimus Lugd. Bat. calculum ſe vidente per pubem ſponte excretum fuiſſe. Sectio vero quomodo inſtitui debet in pueris & adultis, quibuſque inſtrumentis, quorum magnus in chirurgorum & medicorum libris depingitur deſcribiturque apparatus, qui ſcire avet, adeat iſtos auctores rerumque experientiam conſulat. Hîc ante aliquot dies in puero trium annorum ſectionem calculi in perinæo felici cum ſucceſſu inſtitui vidi à lithotomo

tomo ſatis perito, cathetere nimirum in urethram immiſſo citiſſimè ſuper eam ſectionem faciebat forcipeque calculum ℥iij. pendentem extrahebat. Interim circumſpectè Medicum, ut in omnibus, ita maximè hic agere oportet, ſcil. perſpicere, num etiam aliud aliquod malum ſubſit, quod vel tardet ſectionem, vel omnino prohibeat. Ita in mercatore Brunſvicenſi Hempeln graviſſimis per plures annos (non enim ante annum unum aut menſes paucos concreverat) calculi veſicæ doloribus vexato obſervavit Parens meus omni obſervantia ætatem honorandus renem dextrum exulceratum putridumque fuiſſe, cui certè ſectio nihil profuiſſet. Simile quid & mihi Brunſvigæ obſervatum Anno 1673, in puero XI. præterpropter annorum, cujus etiam ren ſiniſter abſceſſu corruptus colonque inteſtinum ſupra renem ſiniſtrum ad quartam partem ulnæ lumbaribus muſculis annexum erat; ſcio quidem ulcere renum laborantes in multos annos vitam traducere poſſe, *ſicuti Clariſſ. D. Lucas Schacht* mihi narravit ſe antehac mulierem curaſſe, quæ ſingulis diebus ℥x. l. XII. puris excreviſſet, nihilominus tamen adhuc eſſe in vivis: rarò verò iſta ulcera conſolidantur. Et tantum de abſtruſiſsima cum Nili origine adhuc, & in puteo Democritæo maximam partem latente calculi materia concretioniſque modo, nec longius ire permittit inſtituti ratio.

FINIS.